



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De meditatione mortis. 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

giles & instabiles sumus. Citò potest etiam perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam.

7 Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam manè? Væ nobis, si sic volumus declinare ad quietē, quasi iam pax sit & securitas, quum necdum appareat vestigium veræ sanctitatis, in conuersatione nostra. Benè opus esset, quòd adhuc iterùm institueremur, tãquam boni nouitij ad mores optimos: si fortè spes esset de aliqua futura emendatione, & maiori spiritali profectu.

CAP. XXIII.

De meditatione mortis.

I VALDE citò erit tecum hîc factum, vide aliter quomodo te habeas: hodie homo est, & cras non comparet. Cùm autem sublatus fuerit ab oculis, etiam citò transit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani, quod solùm præsentia meditatatur, & futura nō magis præuidet. Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi hodie vel statim esses moriturus. Si bonam

Iob. 9.

Eccl. 14.

iñe Luca

12. Eccl.

Heb. 9.

Mat. 25

Luc. 12. bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. *Sap. 4.* Melius esset peccata cauere, quam mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? *Mat. 24* Cras est dies incerta, & qui seis, *et 25.* si crastinum habebis?

2 Quid prodest diu viuere, quando tam parum emendatur? Ah longa vita non semper emendat, sed saepe culpam magis auget. Vtinam per vnam diem, bene essemus conuersati in hoc mundo. Multi annos computant conuersionis, sed saepe paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutius viuere. *Eccl. 7.* Beatus, qui horam mortis suae semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si videris aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandem transibis viam.

Heb. 9. 3 Quum mane fuerit, puta te ad vesperum non peruerturum. Vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri. *Luc. 21.* Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt numquam te imparatum mors inueniat. Multi subito & improuise moriuntur. Nam hora, qua non putatur, filius hominis venturus est.

Quando

Quando illa extrema hora venerit. *Mat. 24*
 multum aliter sentire incipies de tota *Luc. 12.*
 vita tua præterita : & valdè dolebis,
 quòd tam negligens & remissus fuisti.

4 Quàm felix & prudens, qui talis *Ecclesi. 43*
 nunc nititur esse in vita, qualis optat
 inueniri in morte. Dabit namque ma-
 gnam fiduciam feliciter moriendi,
 perfectus contemptus mundi, feruens
 desiderium in virtutibus proficiendi,
 amor disciplinæ, labor pœnitentiæ,
 promptitudo obedientiæ, abnegatio
 sui, & supportatio cuiuslibet aduersita-
 tis pro amore Christi. Multa bona
 potes operari, dum sanus es : sed infir-
 matus, nescio, quid poteris. Pauci ex
 infirmitate meliorantur & emendan-
 tur : sic & qui multum peregrinantur,
 rarò sanctificantur.

5 Noli cōfidere super amicos & pro- *Esa. 30.*
 ximos, nec in futurum tuam differas *Eccl. 31.*
 salutem : quia citiùs obliuiscuntur tui *Ier. 17.*
 homines, quàm æstimas. Melius est *Eccl. 48.*
 nunc tempestiuè prouidere, & aliquid *Mat. 6.*
 boni præmittere, quàm super alio-
 rum auxilio sperare. Si non es pro te
 ipso sollicitus modò, quis erit pro te
 sollicitus in futuro? Nunc tempus est
 valdè

valdè pretiosum. Nunc sunt dies salutis. Nunc tempus acceptabile. Sed proh dolor, quòd hoc vtiliùs non expendis, in quo promereri vales, vnde aeternaliter viuas. Veniet, quando vnū diem seu horam, pro emendatione desiderabis, & nescio, an impetrabis.

6 Eia charissime, de quanto periculo te poteris liberare: de quàm magno timore eripere, si modò semper timoratus fueris, & suspectus de morte. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere. Disce nunc mori mundo, vt *Rom. 6.* tunc incipias viuere cum Christo. *Luc. 14.* Disce nunc omnia contemnere, vt tunc *1. Cor. 9* possis liberè ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tunc certam valeas habere confidentiam.

Luc. 12. 7 Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas hîc securum? Quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? Quotiens audisti à dicētibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit.

fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interit: & sic omnium finis mors est, & vita hominum tamquam umbra subito pertransit.

8 Quis memorabitur tui post mortem? & quis orabit pro te? Age, age, nunc charissime, quicquid agere potes: quia nescis quando morieris, nescis etiam quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam, nihil cogites; solum quæ Dei sunt, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, & eorum actus imitando: ut cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula.

9 Serua te tamquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serua cor liberum, & ad Deum sursum erectum, quia non habes hîc manentem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos, cum lachrymis dirige, ut spiritus tuus mereatur ad Dominum, post mortem, feliciter transire.

Amen.

CAP.